



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

LIII. De laicis qui sine consensu praelatorum bona fabricae ecclesiarum deputata administrant. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit:  
Laicos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO CHRISTI 1420. animarum, sub institutione huiusmodi beneficiorum & collatione perpetuo sint suspensi.

LII.

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Beneficia.*

Clerici qui præsentantur ad ecclesias per patronos cum assignatione alicuius portionis, ut residuum vñibus patronorum applicetur, si de hoc non deferunt querelam ad episcopum suum, sunt ipso iure suspensi, & per episcopum huiusmodi beneficiis spoliandi. Patroni vero per episcopum, cum hoc ad ipsum deductum fuerit, ab huiusmodi exactione compescantur. Et si in hoc pertinaces reperti fuerint, ad præsentationem huiusmodi ecclesiarum, cum proxime vacauerint, nullatenus admittantur.

LIII.

*De laicis qui sine consensu prælatorum bona fabricæ ecclesiarum deputata administrant. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Laicos.*

Laici sine assensu prælatorum & capitulorum bona fabricæ ecclesiae deputata administrare non possunt. Et qui contrarium fecerint, si infra mensem, postquam per ordinarium loci moniti fuerint, non desistunt, excommunicati sunt ipso facto.

LIV.

*De his qui ecclesias & earum ædificia violenter & sine prælatorum assensu incastellare præsumunt, aut gentes ibi tenere.*

*Ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani,  
quod incipit: Nonnullos.*

Qui ecclesias, campanilia, seu alia ecclesiarum ædificia violenter & sine prælatorum assensu incastellare, aut personis armatis munire præsumperint, & eorum heredes huiusmodi violentiæ participes, per suos superiores excommunicationis poena percellantur.